



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Modi LX Sacrae Orationis variè Formandæ**

**Kojałowicz, Kazimierz Wijuk**

**Antverpiae, 1668**

Modus Tertius.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69292](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69292)

cum innumeris temporibus arserint : stillabunt  
semper, recentem sanguinis succum ; donec tot sæ-  
cula transeant , ut oblivioni æternæ tradantur : &  
Deus qui de illis salvandis , ab æterno cogitavit ;  
nullam, de liberandis ex inferno, sit in æternum co-  
gitationem suscepturus. Apoc. 14. *Fumus eorum  
in secula seculorum.* Fumus utique ex lignis surgit,  
quæ habent materiam non consumptam : imo hu-  
more abundantem. Tales erunt damnati, nec un-  
quam esse desinent : hoc unum tuba tremenda, per  
totam æternitatem super illos insonante. *Fumus  
eorum in secula seculorum.* Heu mortales ! cum  
Cypri. lib. 2. ad Desi. inclamo : *Securitati & vita,  
dum licet providete. Nam tunc, nec resistendi erit  
virtus, nec fugiendi facultas, nec pœnitentiæ locus,  
nec satisfactionis tempus,* teste D. Chryf. in Matth.  
Unde & Angelus juravit per Deum viventem, quia  
*tempus non erit amplius,* Apoc. 10. O non erit ! ô  
vox omnia viscera conturbans ! ô tuba ! ad cujus  
sonitum anima liquefcit ! *Erit,* est omnium malo-  
rum solatium. *Non erit,* est omnium malorum  
desperatissimum signaculum.



## MODUS TERTIVS.

**A** Ssumptâ Evangelii aut Scripturæ sententia,  
juxta diversos, & ab ecclesia receptos sensus  
explicatur. Est autem sensus scripturæ quadru-  
plex. Literalis, sive historicus. Moralis, ex quo  
instructio morum formatur. Allegoricus, seu My-  
B sticus,

sticus, qui continet mysteria fidei. Anagogicus, qui refertur ad finem ultimum nostræ creationis, juxta illud:

*Littera scripta docet: quid credas Allegoria*

*Moralis quid agas: quo tendas Anagogia.*

Secundum hos itaque omnes, aut aliquos sensus, tractata sententia, copiosam, tam inveniendi, quam agendi præbebit materiam. Ut si, Dominica 2. Epiphaniæ, super illud, *Vinum non habent*. Agas 1. ad Litteram, de piissimis visceribus D. Virginis Mariæ: quæ, tam facilè, temporalibus quoque necessitatibus proximorum, movebatur. 2. Moraliter referas id, ad commendanda opera misericordix. 3. Allegoricè, tractes sensum D. Cypriani Epist. 63. inquentis: *Quia apud Judæos, defecerat gratia spiritalis, defecit & vinum*. 4. Anagogicè referas ad defectum internæ devotionis, pietatis, & rerum cœlestium considerationis: sine quibus, tanquam sine vino, vita nostra, insipide agitur. Similiter, eodem die, ex occasione aquæ in vinum mutatæ, in sensu literali, ageres de potentia Dei super creaturas 2. Moraliter, mutat Deus aquam in vinum, cum mutat tristitiam in lætitiã. 3. Allegoricè, mutat aquam in vinum, quando lacrymæ pœnitentiæ, abluunt peccata: fiuntque, ut ait Bernardus. *Vinum Angelorum*. 4. Anagogicè, mutat aquam in vinum, quando servos suos, pro solatiis terrenis omissis, replet solatiis cœlestibus longè excellentioribus, & suavioribus. O felices! qui hoc vino gustato, cum Xaverio, inauditum sæculi hominibus verbum, ructant: *Satis est Domine,*

*satis*

*satis est!* Nulla interea lege adstringimur, ad hunc potius, quàm illumve sensum, priore loco proponendum.

## P R A X I S

## Dominica Quinquagesimæ.

*Domine, ut videam, Marci 10.*

**A**ccessus & Propositio. Intentæ adeò Cæci preces, mereri videntur, ut qua necessitate compulsus, eas constantissimè urserit, expendamus: quæ quidem necessitas, quia his verbis exprimitur, *Domine ut videam*, illis primum perspectis, ad nos convertemur: & an non simili premamur necessitate videbimus: ut si ita res tulerit, D. Augustini disciplinæ animum demus, in Psal. 65. inquietis: *Confitere te cæcum, & illuminari mereberis.*

Confirmatio per explicationem variorum scripturæ sensuum, propositæ sententiæ convenientium.

*Sensus literalis.* Non aliud lumen, à cæco tanta contentione petatum, quam lumen naturale oculorum, ex textu Evangelii constat. Neque potest esse non laudabilis constantia, in tam magna angustia. Narrant quidam Pulcheriam Imperatricem, aviculam aluisse, ex cuius aspectu læto, aut tristi, inferre licuit, bonum aut adversum temperamentum valetudinis. Hujus proinde extinctæ oculo, Regina inscripsit: *Non gemma, sed vita: Bene avi, melius oculo id conveniat: Non gemma, sed vita: imò: Et gemma, & vita.* Tobias cap. 5. nul-

lum sibi evenire posse gaudium, quod lumen cœli non videret, clarè asseruit 1. Reg. 11. Naas Ammonites, maximi id supplicii & opprobrii genus duxit: si erueret dextrum oculum incolis Jabes Galaad: & Evangelica similitudo, erigens malum censuit; cum malè amictum, ad tenebras exteriores damnavit, Marc. 11. Quidni igitur, cœcus Evangelicus, lumen sibi donari, multum peteret, plurimum instaret? *Sed si desideravit ille lumen corporis, quanto plus lumen cordis desiderare debemus*, ait D. Aug. serm. 52. de tempore, quod ipsum, si quando in clamari debet his temporibus, Quinquagesimæ ingeminandum, iterumque ac iterum orandum: Domine, ut videam.

*Sensus Moralis.* Heu cœcitas! quam levia & vana gaudia, quam nimiùm amamus? *Nihil est aliud, præsentibus istis laborare, inquit Chrys. hom. 67. quam flammam discerpere, quàm pugnis aëra cedere? Cur perforato dolio aquam ingeris? Ostende mihi hujus secularis studii finem. Semper gaudium properat, nec potest ferre moras letitia*, dicit Cypr. lib. 2. Epist. 5. quod, etsi de mundano omni gaudio, dicendum sit: potissimùm de Quinquagesimali. Alia clam se furrpiunt: hoc palam suam inconstantiam professum: triduanum solum est. *Domine, ut videam*, tam brevis gaudii vanitatem. *Iste dies, qui letus est hodiè, in ista civitate, cras utiq; non erit: nec idem ipsi, cras hoc erunt: quod hodie sunt*, pergit D. August. 70. in Joan. & transeunt omnia, & evolant omnia, & sicut fumus vanescunt, & va qui amat talia! *Gaudium ipsorum est quasi phræneticorum,*  
Quo-

Quomodo phræneticus gaudet in insania plerumq<sup>3</sup>,  
& videt, sic isti.

*Sensus Allegoricus.* Et utinam tantùm vana es-  
sent hæc gaudia ! sed his potissimùm diebus con-  
venit, quod D. Bernard. lib. 1. de Contem. cap. 2.  
requirit : *Quis*, inquit, *diem totum, duxit in sua*  
*delectatione jucundum : quin in aliqua parte, reatus*  
*conscientiæ non turbaverit ? Domine, ut videam pec-*  
*cati gravitatem, post quod dicere non semel licet,*  
quod Chrysof. serm. 126. de decollatione Baptistæ  
edixit : *In arenam vertitur domus, mensa migrat in*  
*caveam, furore mutatur convivium, fit cibus cades,*  
*vinum transit in sanguinem, finis natali imponitur*  
*in ortu, exhibetur occasus, intrat bestia, non puella,*  
*querit amputare, non saltare, discurret fera, non fe-*  
*mina, spargit jubar per cervicem, non capillos.* Ex-  
pende singula, & in iis inclusa damna peccati : &  
exclamabis, *Domine, ut videam.*

*Sensus Anagogicus.* Sic, sic miseri perimus ! &  
pericula nostra contemnimus, atque à beatissima  
æternitate facilè decidimus. Coram Galliæ Rege,  
virtutes, choreas agebant. De his, quid sibi pla-  
cerent, interrogatus Urbanus VIII. ad Regem tunc  
legatus : *Bonus*, respondit, *chorus, sed periculosus.*  
Talia sunt lætantium hodiè gaudia, tales saltus, ta-  
les choreæ, tales chori. Nimiùm, ah nimiùm, pe-  
riculosi ! quanquam multis aliquantum videantur  
boni. Notæ prudentiæ, & ætatis venerandæ vir,  
condictum à Dæmone cum Deo agebat, ut totius  
anni diebus Deo sacratis, tres dies Quinquagesi-  
males suis usibus concederentur : durasseque id  
B 3 pacti,

facti, donec Societas Jesu in mundo compareret: quæ, excitatis, illis ipsis diebus, singularibus pietatis exercitiis, ac propositis indulgentiis, Diabolo suam portionem eriperet. At quod laudi Societatis tribuitur, libenter aliis, ex communi genio, concessero. Illud verissimum est, planè hos dies, Deo, per homines eripi, & Dæmoni vendicari. Alias itur: hîc ruitur ad infernum. Placet etiam præcipitari à sociis familiaribus, vicinis, etiam ignotis. O si oculi nostri aperirentur! O si pericula salutis clarè paterent! pluribus nos profectò hostibus circumdatos videremus, quam advertère Syri, percussi ab Elisæo cœcitate, 4. Reg. 6. & in mediam Samariam inducti. Domine ut videam! & ut videamus in bonitate electorum tuorum: ad letandum in letitia gentis tuæ, Psal. 105, 15.



## MODUS QUARTUS.

SECUNDUM unum tantum, ex prædictis sensum, sententia explicatur: sed ipse sensus geminatur, aut multiplicatur: vel moralem sensum, ad diversam circa mores instructionem, referendo: vel Allegoriam, ad diversa fidei documenta, & sic de aliis. E. g. dicturus Dominica 4. post Epiphaniam, inquirere posses: Cur ascendente Jesu in naviculam, *motus sit permissus in mari.* Julius Cæsar, nauclero inter fluctus trepido, *Ne, inquit, timeas, Cæsaris fortunam vehis.* Nec navi, in qua Christus melius conveniebat, & ecce motus factus est in mari,

ri,